

Q.K.
379
9.

(X 1904737)

II n
6399

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICO-
POLITICA

DE

PIASTO,
ETHNARCHA POLONIÆ &c.

QVI

DEI GRATIA

OCTO SECULORUM PRINCIPES
SILESIÆ
DEDIT.

QVAM

IN ILLUSTRIS ACADEMIA
WITTEBERGENSI,
PRÆSIDE


M. Gottfried THILONE,
AURIMONTE SILESIO,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
PROPONIT,

ASMANNUS FRIDERICUS ab HOCK,
EQVES SILESIUS.

IN AUDITORIO MAJORI, AD D. XI. MART.
HORIS ANTEMERID.

3



Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIIX.



258

DISSELTATIO HISTORICO
POLITICA
DE

PIASTO

ETHNARCHIA POLONIAE

M. B. O. P. I. S. T. O.

IN MONTE P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.

IN P. I. S. T. O.





Prooemium.



Llustre non minus quàm arduum mu-
 nus est, quod Imperantes sustinent. Quid ma-
 jus inter homines, quàm DEI Vicarium esse;
 hominibus imperare; leges & jussa ponere,
 potentiâ dignitateq; divinæ suppari? Quid
 difficilius sub sole, quàm unum caput tot
 capita coercere; maria, terras, pacem & bel-
 la ex usu publico moderari, ac universam il-
 lam multitudinem, discordem sæpè, inquietam & turbidam sub
 commune quoddam obedientiæ jugum redigere? Quemadmo-
 dum enim sidera illa splendorem habent, sed ut usibus inferio-
 rum deserviant: Sic Principes Majestatem, sed cum munere of-
 ficioq; devinctam. *Collata est in sinum eorum à DEO homini-
 busq; Respublica: sed nempe in sinum & ut foveatur, dicente Li-
 psio (a) ubi exclamat: O verè justum & legitimum illum Principem,*
qui in summo fastigio, non magnus magis quàm bonus audire deside-
rat: & duas res diversissimas, Potentiam ac Modestiam, miscet!
 Quamquam verò fingere magis liceat & optare ejusmodi Princi-
 pem, quàm sperare, præsertim hac ultimâ mundi fece, nihilomi-
 nus vidit talem ætas Majorum nostrorum in PYASTO, quem
 Cœli favor subito à cultura apum in sublime tribunal evexit.
 Mirabatur Principem hunc *POLONIA* & quæ huic sororio vin-
 culo conjuncta erat *SILESIA*, ac certatim velut beneficium
 quoddam numen venerabantur: inter amorem timoremq; me-
 diæ: & alternis judiciis ambigentes, Dominum salutarent an
 Patrem. Gratulamur meritò de tanta olim felicitate svavissimæ
 Patriæ nostræ, idq; magis quod eidem hodiè soli propria, uti-
 nam etiam perpetua, sit. Nam vivit in Te, ô dulce solum, MA-

(a) in *Prefae.*
Politic. p.m.5.

GNI PYASTI MAGNA PROGENIES, & Principis munere laudabiliter atque salutariter defungitur. Digna profectò est Illustris illa RADIX, in qua celebrandâ nonnihil curæ diligentiaque ponamus, quin & eidem pietatem ac observantiam devotè testemur. Faxit DEUS, ut id, præsentî opellâ, fiat feliciter!

SECTIO I. HISTORICA.

§. I.

Polonorum natio, à Pole, quod vocabulum planitiem & venationem significat, ita dicta, (b) ac vetustissimis seculis, sub communi Sarmatarum nomine cognita, postquam ab amplissima horum & non amplius se capiente turbâ discessit, magisq; indies, quam antea fortitudine Martisq; operibus enituit, tum inter alios quoque in sui Principem legit PYASTUM, cujus proinde vitam & Imperium breviter delineare impresentiarum animus est. Natus Is est in Crussphicia, Cujavia, ut hodiè dicitur, pervetusto oppido, Anno Orbis Redempti MDCCLXXV.

(b) juxta Thuan. Lib. LVI. Histor. it. Lib. Bar. ab Herberst. in Descript. Moscov.

(c) Schickfus. in Annal. Siles. L. 1. c. VII. p. 27.

(d) Rupertus in Observat. in Synops. Besold.

Min. c. XV. p. 592 it. Schraderus in Tab. Chronol.

(e) Schickf. l. c.

(f) Hessus Heroid. L. II.

(c) cui respondet Annus Mundi 4724. Quo ipso CONSTANTINUS, Copronymus cognominatus d. 14. Sept. rebus humanis valedixit, relicti Imperii fascibus Filio suo LEONI. (d) Circa hoc tempus vel paulò ante, Hadrianus Nobilis Romanus, cathedram Petri occupavit, quam vehementer affectabat Desiderius ultimus Longobardorum. (e)

§. II. Parentes nactus est Pyastus, ignobiles quidem, honestos tamen ac recti aequiq; observantissimos; de quibus meritò dicere potuisset:

Quæ mihi signa domus, qui sint ne quære Parentes,
Pauper uterque fuit, sed sine labe Parens. (f)

Patrem habuisse creditur, Civem Crusvicensem, nomine Cusfiscum, qui agrorum ac apum cultura vitam toleravit; Matrem verò Repicham, fœminam omnibus, quæ sexum illum decent, virtutibus exornatissimam.

§. III. Indoles in eo emicuit naturæ optima, & non nisi ad magna proclivis; quam felicissima Parentum cura, ceu par erat, excepit atq; brevi ex voto perfecit. De Herculis Indole Principe dignâ, quæ canit Poeta: (g)

(g) Obidius.

Inge-

Ingenium cœleste suis velocius annis:

Surgit, & ingrata fert malè damna moræ;

PYASTO nostro non incongruè applicari possunt, qui à pueris, suapte naturâ ad liberalitatis juxta ac fortitudinis & justitiæ laudes adspirabat.

§. IV. His & similibus virtutibus innutritus, postquam ex *Ephēbis* excessisset, rem familiarem in Patriâ ipse administrare cepit; & in thori laborumq; sociam, virginem, generis honestate, vultus venustate nec non morum suavitate satis commendatam, vocavit. In quo vitæ genere, summam animi exeruit integritatem. Virtutis quippe & pietatis fuit studiosissimus, erga omnes humanus, benignus, nemini gravis, omnibus apertus, æquus, & uno verbo, *VIR BONUS*. Ad corporis statum quod attinet, erat procerus, membris integer atq; robustus, facie item liberali & formâ, per omnes ætatum gradus usquequaque decente.

§. V. Dignitatem, quâ postmodum merito suo condecorabatur, prædixerunt, (si fides habenda annalibus & *Promptuario Exemplorum*.) Duo *VIRI*, vultu amictuq; admodum elegantes, qui, cum adverterent, non patere sibi aditum, quem petierant, in ducale Palatium, quod tunc temporis *Popiolo Crusvicæ* erat, ad *Pyastum N. tutum* exterorum refugium, sese protinus receperunt. *Pyastus* splendidos hosce Viros, quos ante ne de facie quidem viderat, eâ, quâ quemlibet complectebatur, humanitate excepit, & cibo potuq; præ modulo fortunarum, lautè tamen refecit. Sed qui fit, res domestica ex hac liberalitate nil quicquam damni sentiebat, quin potius quotidie per miraculosam *DEI* benedictionem, majora acqvirebat incrementa. Hospites præfati, benefactori suo *Pyasto* svadent, ut Principem cum universâ aulâ & militum catervâ ad præsens festum, quod tonsuræ ac denominationi filii sui parabat, invitaret, cui non tantum ipsimet interfuerunt. sed *Infanti* insuper nomen *Semoviti* imposuerunt. Tandem finitis, cum convivio exquisitissimo, dierum solennitatibus, *VIRI* illi, postquam *Pyasto* principatum prænuntiaissent, repentiè disparuerunt.

§. VI. Atque ut nunc propius accedamus; Imperabat eo tempore *Polonis Popielus*, mali Parentis pejor Filius. Princeps animo ignavo & ultra abdominis curas vix assurgenti, corpore verò adeò de-

A 3

formi,

formi, ut nihil supra. Duxerat hic è vicina Germaniâ uxorem, quæ Principis solutissimos mores, propriis insuper vitiis, avaritia & crudelitate cumulabat. Fæmina hæc impotens, postremò vecordiam Popieli ita subegit, ut hic inania nominis, ipsa vim teneret imperii. Nec satis illi erat vivo marito imperare, nisi in posterum etiam sibi & filiis, quos duo ex Popiello pepererat, regnum firmaret. Diffidebat autem favori Polonorum, præsentem dominationem abominantium: sed imprimis Patruorum Mariti gratiam in vulgus atque autoritatem suspectabat. Hos dum amoliri laborat, erupit in scelus, in quo fides annalium laboret, nisi tot seculorum consensu niteretur. Persvadet mulier nefanda marito, ut molesto æmulorum metu se suosque liberos exsoluturus, dolo, quem comenta erat, operam commodaret. Ille, jubente ita uxore, morbum simulat, Patruisque advocatis, quasi morti proximus conjugem ac liberos commendat. Ipsâ interim, ut fidem morbi periculosi faceret, nullâ non adhibente doloris incitamenta. Flexo in vespere die, Popielus manum, quasi tesseram affectus sui ultimam, secessuris porrigit, & simul infelix poculum, quo paratum à muliere venenum continebatur. Illi conceptâ intra viscera morte abeunt, mox acti in rabiem post ingentia tormenta exanimabantur. Clamat mulier divinâ aliquâ vi tactos esse, ac recidisse in autores insidias, quas marito suo struxissent. Mox corpora abjici jubet, odio ipso quasi & sævitiâ in innocentes innocentiam suam probatura. Et fefellerat fermè homines, sed minimè Deum, qui, si fides annalibus veterum, prodigioso planè & inaudito supplicii genere, qui patrauerant, reos peregit. Nati quippe è cadaveribus projectorum mures portentosæ molis, invadunt impium parricidam, uxorem & liberos. Non aqua, non flamma, non claustrorum latebræ, non auxilia ministrorum arcere hos vindictæ divinæ satellites potuère. Ita tandem liberi Principis, Lechus & Popielus, mox conjux, postremò Ipse pabulum murium facti, documentum dedere posteris, non posse à mortalibus tam horrenda committi flagitia, quin horribiliores pœnas iratum Numen inveniat. Hæc totidem literis non minus nervosè quàm concinnè refert Clariss. Dn.

(h) Flor. Polon.
L. l. c. X. pag. 12.
seq.

Joachimus Pastorius. (h) Alii aliter tragediam hanc describunt.

§. VII. Post

§. VII. Post in faustum hunc Pompilii seu Popieli casum, acerrima de successore oriebantur dissidia, quæ calamitates pristinas non parùm auxerunt. Filii Patruorum, quos Popielus trucidaverat, Imperium ad se devolvi poscebant, sed Polonis manibus pedibusq; reluctantibus; Atq; ita sine effectu disfluxerunt indicta Crusvicia comitia. Interim omnia rapinis & latrociniis erant exposita. Palatini, qui servare Rempublicam debebant, gravissimè eandem afflixerunt. Correpti enim ambitione, discordes agere ac raptare inter se regnum ceperunt. Cum itaq; sic externis civilibusq; bellis, Polonia laboraret & tantum non succumberet, publicæ rei maximè intererat ab uno rursus omnia regi. Quare congregati iterum Proceres, cum diu se variis contentionibus fatigassent, tandem Piastrum in Principem eligunt, quem nemo unquam speraverat. Hunc narrant scriptores, dicente laudato Pastorio, (i) (i) l. c. c. XL. p. 14. extremis comitiis, cum magna annonæ caritate laboraretur, cibasse omnem eorum, qui ad comitia convenerant, multitudinem: nihil minuentibus inter tot avidas fruentium manus dabibus: (quæ quidem penus fecunditate olim ab eo exceptum Principem cum universo aulicorum comitatu, nos paulò ante in §. V. tradidimus) quo prodigio attonitos Polonos, Piastrum salutasse Principem. Sed hic agrè persuaderi poterat, ut susciperet onus, quod per se arduum, mala tum publica aggravaverant. Vicit tamen recusantis modestiam pertinacia deferentium. An vero, quæ de mirâ illâ & in exhausta penus Piastræ fecunditate proferuntur, à credulâ antiquitate falsò in miraculum ficta sint, non habemus dicere: Profectò ipse principatus felicissimè à Piastrò gestus, & ad seram posteritatem deductus, evidenter ostendit, eum non sine fato imperio esse potitum. Erat quidem humili loco natus & modici agelli dominus, sed inter fortunæ angustias integer animi scelerisq; purus, imprimis verò in egenos promptissimus. Quo nomine, non tantum à rerum Polonicarum, verum aliarum quoq; Scriptoribus unanimi consensu, magnâ sui gloriâ, Cælo quasi insertus celebratur. Quibus accedit fide digna inscriptio, quam in templo Ducali quod Bregæ Silesiorum est, videre licet: Extinctâ veterum Poloniae Ducum familiâ in Popilio, Poloni sibi præfecerunt Piastrum, virum humili loco natum: sed Virtute & justitiâ excellentem, circiter Ann. Dn. DCCCLII. à quo prisca Poloniae Regum progenies & Silesiæ Duces descendunt. Huc referri merentur, quæ in honorem Piastræ & Illustrissimæ stirpis, cecinerunt Vates nostri, imprimis Johann. Mollerus. (k)

k) in Hist. Ducum, Lign.

§. IIX.

l) Micr. alius
L. III. Synt. Hist.
Polit. sect. VI.
Pastor. l. c.
it. Lud. Decium
in Antiq. Pol.

§. VIII. *Aggressus ergò Imperium An. Ch. 842. circiter juxta Calvis. Op. Chron. p. 764. juxta alios verò nonnihil citius, (l) Princeps Felicissim9. Bella sub eodem aut nulla, aut certè exigua fuerunt. Hostes statim ab initio mitigavit. Latrocinia dissidiaq; intestina, autoritate magis, quam severitate comprescit. Circumfudit enim procul dubio DELLIS, constituto & ex obscuro in lucem ac splendorem producto PIASTO tam efficacem auctoritatem, quæ in animis subditorum admirationem ac venerationem illam genuit, concordia & tranquillitatis publicæ haud contemnendum vinculum. Neq; enim temerè reperiemus, qui si omnes, regiminis Pyastei annos spectemus, res aut foris gesserit felicius, aut domi prudentius administrarit, quiq; apud vicinos Principes autoritate magis polluerit.*

§. IX. *Relictâ autem Crusviciâ, quod scelere humano, divinæq; ultionis piaculo infamis esset, Gnesnam vetustissimam Principum sedem, delegit, quam augustissimâ suâ præsentia & divino splendore illustraret. Hic vixit, & grandævus Ziemovitum, dignum Patre filium, in consortium curarum assumsit. Hic obiit, annum agens vicesimum supra centesimum, ætate sanè Principibus Viris inusitatâ. Quam acerbis, omnibus subditis tanti PATRIS PATRIÆ extiterit obitus, vel ex eo liquet, quod corporis derelicti exuvias, multo luctu & accuratissimo exequiarum honore profecuti sunt. Quid quod &*

Fama manet terris, dum volvit sidera cœlum

Dicemus laudes, Magne PIASTE, tuas.

§. X. *Atq; ab hoc Pio, Felice & Optimo Principe PIASTO descenderunt, qui tot seculis, ordine vix unquam interrupto, Poloniae clavum laudabiliter rexerunt. Deficiente autem in Casimiro, PIASTI Regiâ progenie, inde regnum ad Ludovicum Ungarum devenit, quem sorore genitum, Casimiro pridem successorem sibi destinaverat. (m) Nihilominus tamen ex eadem stirpe hodiè per DEI gratiam adhuc superstites sunt, SERENISSIMI SILESIÆ DUCES, LIGNICENSES & BREGENSES. De quibus Vates:*

*Quod si prisca minus regali gloriâ Sceptri
Durat ad huc; germen nobile durat adhuc.*

*Namque peregrinis, patrios exosa Nepotes
Contulit ambitio sceptrâ decusque Viris.*

*Nunc LYGII parent DUCIBUS, quos stirpis avitâ
Nobilitate suâ fama coronat anus. (n)*

SECT.

m) Past. l. c. L. II.
c. 20.

n) Mollerus l. c.

SECTIO II. POLITICA

EXERCITATIO I.

PIASTUS, Ethnarcha Poloniae & Magnus Dux Silesiae,
bono titulo, Principatum suum obtinuit.

§. I.

Nam imperiorum scaturiginem & simplicem fontem esse; sed
varias, pro diversitate Rerum publicarum, deductionum for-
mas, nemo est qui nesciat. (o) Hodie praesertim, in multis imperiis per
Electionem aut Successionem, tanquam distinctos canales ac tubos, Ma-
jestas bono titulo transfunditur atq; derivatur. Quam ubi quis semel
obtinuerit, non facile nutantes aut desciscentes habebit subditos. Est
enim illa fulcrum regnorum & arx edita, qua Princeps se vindicat a re-
bellione & a contemptu. (p)

o) confer Arni-
saum LI. Pol. c.
IX.

p) Lips. L. IV.
civil. Doctr. c. f.

§. II. De Regno Poloniae certum est, electitium id fuisse supra mil-
le ab hinc annos. Equidem non diffitemur, aliquoties penes eundem san-
guinem satis diu etiam supremum regimen mansisse, sed hereditarium
exinde factum, nemo asseret opinor, nisi qui veritati historicae, manifeste
vim facere velit. Non enim forma regni innovata est, sed saltem grati
in memoriam Parentum Poloni, sponte sua Principatum Filiis detulerunt.
Verum enim vero, quocumq; titulo alii regnum hoc acquisiverint, sive ar-
mis, uti Lechus II. qui imperium, quod Craco fratri, jure et aetate primo
debeatur, rapere maluit, quam expectare, (q) sive sorte, vel dolo, ut
Lesco II. (r) aut modo quovis alio; Piastrum tamen, bono titulo & jure
electionis sceptrum tenuisse, facile probare possumus.

q) Pastor. Flor.
Pol. LI. c. IV. p. 5.
(r) Crom. LII.
Hist. Pol. Tom. II.
p. 429.

§. III. Ac primum quidem, non opus est, ut prolixam hic adduca-
mus Aetiologiam, quomodo vel propter crebra eaq; tam externa, quam ci-
vilia bella, vel propter populi augmenta, vel etiam Divini Numinis non
obscura indicia, Poloni Piastrum Caput ac Principem suum constituerint.
Lubet nunc in Piastrum, electo Poloniae Principe, tantum ea observare, quae
ad praesens negotium faciunt. Est autem electio, Definitoribus Politicis,
modus acqvirendi Majestatem, dum consensu eligentium certa perso-
na nominatur, quae digna censetur, cui imperium tradatur. Hec secun-
dum receptam distinctionem duplex est: Alia suffragii liberi, quae nullis le-
gibus arctatur, & vinculis caret, quibus restringatur. Alia suffragii re-
stricti, quae certum populum aliquando respicit, frequenter certam domum,
sepe etiam sexum. Ita Imperium Romano-Germanicum ad neminem

B

alium,



s) Cellar. Pol.
L. II. c. III. §. 6.
t) Hist. Svec. L. V.
p. 148. L. VI.
p. 234.

u) Crom. L. s.

x) Tacitus L. I.
c. 16.
y) Pastor. Flor.
Polon. L. I. c. IX.
p. 11.
z) Tacit. L. I.
Ann. c. 68.
a) In scripto pec.
b) in pecul. dis-
sertat. hac de re.
c) L. II. Pol. c. 4.
d) Syst. Pol. c. VI.
p. 795.
e) Dissert. de E-
lect. & success.
f) apud Horn.
de Cib. L. II. c. 9.
§. 5.
g) Prob. c. XVI.
p. 33.
h) 1. Sam. X. c.
i) L. III. de Leg.

alium, quàm qui germano sanguine fuerit oriundus, transferendum est. (s) Ita etiam Galliae regnum, per Legem Salicam, nulla femina hæreditarium habet. Deinde eligitur Princeps vel ab omnibus civibus promiscuè, quem morem Svecis olim usitatum fuisse refert Loccenius; (t) vel à Nobilissimis saltem: quo pacto superioribus seculis, Nobilium consensus Regem Dania declaravit. Jam quod Piasum nostrum attinet, donarunt eum principatu, Proceres Poloniae, magnis omnium studiis, sed suffragio liberrimo. Neq; id novum erat. Nam ante Piasum, eadem prorsus votorum libertate, Cracum, virum opulentum, & Vistulae fluminis accolam, Lescum item, quanquam pauperem & nec unius equi Dominum, Principes salutârunt. (u)

§. IV. Hic non immeritò disquiri posset? An Poloni rectè electionem, in constituendo Principe, successioni prætulerint? Non licet, nec libet, in presens omnia rationum momenta afferre, quæ hanc in rem alii prolixè ac in genere urgere solent; Quin potius, quæ nostra, intuitu Reipublicæ Polon. & habitâ ratione patrii instituti, mens sit, paucis exponemus. Affirmamus intrepidè quæsitum. Nam nasci & generari à Principibus fortuitum est, nec ultra æstimatur. (x) Principibus optimis sæpè pessimi nascuntur filii, Lesco III. (cui animus supra genus egregius) Popielus, qui præter dignitatis fortunam à Patre nihil accepit (y) & Cyro Cambyles. Aderant quidem è familia Patruorum, quos Popielum sustulisse superius annotavimus, qui regnum istud specie hæreditatis magnopere affectarent, sed Magnates spretis illis omnium tutissimè, electione, quæ optimus invenitur (z) Piaso optimo regnum imputârunt, qui nisi electus fuisset, nasci debuisset. Confer, quæ in genere de hac controversia disputat Waremundus ab Ehrenberg, (a) it: Christophorus Besoldus, (b) Lipsius, (c) Heiderus, (d) Buxhornius, (e) atqve alii.

§. V. Cùm etiam apud Polonos olim usu receptum fuerit, forte eligere Principes, non incongruè aliquot lineas sibi hoc vindicat dubium: An rectius hac vice votis, quàm fortunæ electionem permiserint? Philo putavit, fortem adeò improbam esse, ut nullo casu possit locum obtinere. (f) Sed mitius censendum esse de instrumento hoc electionis, docet Scriptura S. cùm dictis (g) cùm exemplis, (h) ostendit usus aliorum populorum; & Plato (i) expressè asserit, à DEO dirigi fortem. Absit ergò, ut iniquitatis aut erroris eam simpliciter & absolutè arguamus. Circumspectè autem egerunt Poloni, qui non arbitriò fortunæ commiserunt, quod prudentiâ definiri poterat. Tentare enim fortunam: ubi locus con-

consilio temerarium est (k) *Et Helvidius inquit: (l) Sorte & urna mores non discerni; suffragia & existimationem Senatus reperta, ut in cujusque vitam famamque penetrarent.*

k) Pontanus
l) apud Tacit. Hist. L. IV. c. 7.

§. VI. *Non ineptè etiam hic queritur: Utrum ad electionem Piasii maximè necessarium fuerit, ab universa civium multitudine vota expectare, an verò suffecerit Procerum regni consensus? Nos minimè id necessarium fuisse, uti in omni, ita quoque in Polonorum Republ. censemus, immò nec ubique consultum. Etenim non minùs scitè, quàm verè exclamat Poeta: (m)*

m) Juvenal. in Satyr.

Mille hominum species, & rerum discolor usus:
Velle cuique suum est, nec votò vivimus unò.

Quot capita, tot sensus. Arduum profectò est, apud multos eodem loco potentiam & concordiam esse. (n) Et hæc certè pregnans ratio inter alias fuit, quæ Majorum nostrorum ætate ortum dedit Collegio Electorali, quod deinde à Carolo IV. confirmatum legimus. In Polonia præcipua eligendi facultas penes Proceres residebat, qui tùm vernaculo nomine, Wojevodæ h. e. belli duces dicti, hodiè latinè loquentibus Palatini vocantur: Hi itaque in publicis comitiis Piasio in omnes concesserunt imperium, & id non sine egregio populi applausu.

n) Tacit. Ann. L. IV. c. 4.

EXERCITATIO II.

Piasius Principatum non quidem ambiit, sed oblatum primum modestè recusavit, tandem verò, licet humili locò natus, assumpsit.

Ex. 9:

§. I. *Gravis Ciceronis vox est: (o) Sine lege nec domus, nec civitas, nec gens, nec hominum genus universum stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Lex autem loquens & legis Moderatores sunt Magistratus. (p) Quod sapienter sapiens Seneca confirmat, quando inquit: (q) Imperium est vinculum per quod Respubl. cohæret: Ille spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur: Ob hanc igitur summam imperii necessitatem, etiam Polonia post infelix Popieli fatum; Spiritum illum vitalem, à quo animetur, & Nauclerum, quo in undoso illo mari gubernetur, anxie desiderabat. Non autem nunc disceptabimus, an Magistratum expetere liceat, nec ne? quanquam pro utraq; sententiâ gravissima prostent argumenta; sed id unice ostendere sedet animis, Piasium regnum suum nunquam ambiisse.*

o) Lib. III. de Leg.

p) Plato L. IV. de Leg. it. Arist. L. III. Pol. c. 12.

q) L. I. de Clem. cap. 4.

B 2

§. II. Equi-



v) Tacit. A. L. VI.
o. VIII. n. 5.

§. II. Equidem si vitæ conditionem & natales ejus spectemus, erat is obscuro loco editus, & tenuioris fortunæ, cui in solidum obsequii gloria relicta. (r) Quare secum habitans cum nosset, quam sit ipsi curta suppellex, de regimine nequidem per somnium cogitavit. Qui ergo ad id aspirasset. Et præterea facile colligere poterat, viduum imperium non ad se, qui neq; ortus splendore, neq; fortunarum opulentiâ superbiebat, sed potius ad Palatinos, ceu Viros primarios, aut eos, qui Popielum proprio sanguine contingebant, pertinere. Cum verò Æternum Numen, præter omnem spem atq; expectationem, in sublime solium collocatum cuperet, modestè illud detrectavit, imparem sese tanto oneri ferundo ingenuè fassus. Adhæc, publica illa de successore orta dissidia, & quæ passim obvia erant atrocina, non parùm animum ejus à munere deterrebant; Ut nihil adjiciamus de difficultatibus, periculis, curis ac molestiis innumeris aliis, à Principe, qui cum salute populi præesse vult, exantlandis. Nam ut Seneca ait: (s)

s) in Agamemnon.

Nunquam placidam sceptrâ quietem,
Certumve sui tenere diem,
Alia ex alia curâ fatigat,
Vexatq;ue animos nova tempestas.
Non sic Lybicus syrtibus æquor,
Furit alternos volvere fluctus;
Ut præcipites Regum casus
Fortuna rotat: metui cupiunt
Metuiq;ue timent, non nox illis
Alma, recessus præbet tutos:
Non curarum somnus dormitor
Pectora solvit.

r) apud. Liv.
L. I. I.

u) ap. Dion. L. 57

x) Joseph. L. V.
de Bello Jud.

y) Sleid. L. III.

z) Plutarch. in
Demosth.

a) Stob. ser. 46.

Et ob has rationes plurimi semper fuere, iiq; magni VIRI, qui publicos illos honores recusarunt, ut Virginii (t) Germanicus, (u) Vespasianus, (x) Fridericus Elector Saxonæ (y) aliiq;. Hinc natae frequentes illæ querelæ, de Imperantium vix superandis difficultatibus. Demosthenes inquit: si alterum mihi sit eligendum in exilium abire malim, quàm in suggestum & tribunal. (z) Et Antigonus: (a) O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis sollicitudinibus, periculis ac miseriis sit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.

§. III.

§. III. Verum enim verò, cum Senatus Populusq; Polonicus pertinacibus precibus apud Piaſtum noſtrum inſtaret, ut regenda Patriæ, cui natus erat, admoveret manum, tandem in beneplacito eorum, ceu par erat, acquievit, & oblatum non ſine fato, cum honore onus, quod depellere nec poterat, nec debebat, humeris ſuis promptè impoſuit.

§. IV. Ad illam nunc de labimur controverſiam: An Piaſto generis humilitas & novitas offecerit? Nobis omninò id non videtur. Imperare enim res divina eſt, in quâ neq; quantitas, neq; qualitas perſonæ eſt reſpicienda, ſed animus regius, non virtute modo, ſed omnibus imperatoriis artibus inſtructus. Natura una & communis omnium eſſe videtur, & fortiffimus quisq; generoſiffimus. (b) Ipſe Deus hunc ludum inter homines ludit, ut humilia tollat, excelsa deprimat (c) Hinc plena eſt hiſtoria tam ſacra, quàm profana, tam vetus, quàm recens exemplis illorum, quos ex humili genere ad magna imperia, vel fundanda vel regunda & amplificanda, Cæleſtis providentia inter tumultus etiam plebejos & militares vigilantiffima, paſſim evexit. Confer Meigerum (d) Schönbornerum (e) Zeilerum (f) aliosq; qui plurima exempla collegerunt. Quare non, ubi quis fit genitus, ſed qualis in Republicâ fuerit, attendendum. (g) Heroum enim filii noxæ & Majorum vibices ſæpiſſimè ſunt. Contra novis hominibus ſpes omnes in ſe ipſis ſitæ, quas necelle eſt virtute & innocentia tutari. (h) Hinc ad gloriam ſibi ſuaq; Reipubl. quærendam augendamq; gnaviores ſunt. Quod vel exemplo Piaſti noſtri liquidò demonſtrari poteſt, cui vel obſcuritas aut novitas minimè obfuit in conſequenti principatu, quem Ille dubites majori ne felicitate acceperit, an indiſtriâ ad miniſtravit. Stimulabat animum ipſa ignobilitas, ut quod ſtirpi deerat, virtute ſuppleret. Vide Magnum Haſenthal. (i) qui de Principe genere humili, diſputat.

b) Marius apud Salluſt. in bello jugurth.
c) Chilo ap. Laërt.

d) in Nucl. Hiſt. L. 7. c. 7.

e) L. II. Polit.

c 4.
f) P. I. Epiſt. LXXIX.

g) Vopifc. in Aureliano

h) Salluſt. in bello jugurth.

i) in Athleta Polit. Claſſ. ſ. decad 1. q. 6. Vl. p. 32.

EXERCITATIO. III.

Piaſtus ſummâ præditus poteſtate, Regnum, quod natus erat, feliciter & optimè adminiſtravit.

ex 9.

§. I. Cum adhuc in cunis quaſi, Reſpublica Polonica lateret, erat tùm ſine lege Principis poteſtas, niſi quam ei vel natura poneret, vel genius Populi ſuperba imperia facillimè aſpernantis. Nec propriis ex agris Ille, ſed annuo ſuſtentabatur proventu ſubditorum, ſecuriùs quoq; ſic parentium Principi, qui ſine ipſis vivere non poſſet. (k) Poſtquam verò ſe-

k) Paſtor. Flor. Polon. L. I. c. 1.

B 3

lo- p. 1.



lonia, legibus certis munita fuit. Quae tunc rudi ad hoc seculo simplices fuerant, & qui à cultura literarum aberat, non tabulis, sed mentibus inscriptae, solis in moribus observantium legebantur. Atque hinc nobis nascitur quaestio haec, An Pyastus veram habuerit potestatem? R. Utiq; Siquidem id abunde probat honorifica & miraculosa ejus constitutio, nec non Jurium Majestatis usurpatio. Summum rerum judicium à Deo & populo accepit, ut potuerit de quolibet negotio civili cognoscere, & quid factum voluerit, quid ve omissum, efficaci decreto statuere atque determinare. Subjacebant ejus arbitrio singula & universa tam publica, quam privata, tam sacra, quam profana.

§. II. Et quanquam haec Majestas in se ac sua essentia simplex sit, plures tamen complectebatur virtutes s. jura pro diversitate objectorum: quae omnia in Piasto nostro maxime conspicua erant. Habebat enim potestatem ferendi leges, constituendi Magistratum, ordinandi judicia, gerendi bellum, ineundi pacem, pangendi fœdera & id genus alia, adeo ut in eo nihil desiderare potuisses, praeter Diadema regium, quod demum Boleslao Chobri, Imperator Germanorum Otto III. ut gratum se ostenderet, propria manu Gnesnae Anno Christi c. l. (l) imposuit.

§. III. Cum vero Majestas duplici modo se habeat; uno absolute, altero limitate; huic, juxta quem certis conditionibus in solium admittitur regnaturus, & per determinata pacta restringitur, potestatem Piasti subicere non verebimur. Neque aliter sentire potest, qui ingenium Polonorum probe perspectum habet. Sunt enim ii, uti septentrionales ferè omnes, Libertatis amantissimi. (m) Quare legibus Reges suos astrinxerunt, nunquam vero arctius, quam hodie & temporibus proximè antecedentibus. Hinc jam olim conquirebatur hac de re, Christina Vladislai II. uxor, quæ Caesare Patre Avoque; nata, & auctoritatem Monarchiae in Polonia umbratilem esse putavit, cum Rex sine Palatinorum consensu nec bella movere, nec tributum indicere possit. conf. Bodinum. (n) Sed quam mutata Reipublicae facies! Tempore Piasti non erat sic, cui liberior longè spirabat aura. Erat is superior Collegio Palatinorum, & hoc ab illo suam habebat auctoritatem. Huc referri merentur heroicae Valentini Imperatoris verba. Ut me ad imperandum vobis eligeritis, in vestra situm erat potestate, o Milites: at postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ facienda sunt, cogitare. (o) Et licet Pyastus adstrinxerit sese legibus fundamentalibus, inde tamen nihil decessit ejus Majestati. Mansit ea salva egitque secunda, & detractionem nullam

l) Schikf. l. c. c.
XII. p. 35.

m) Buxhorn. in
Instit. Pol. L. I.
c. 1. p. 4.

n) Lib. VIII.
p. 139.

o) ap. Grot. de
Jure P. & B. L. I.
c. III. n. 8.

lam metuit. Ut nihil dicamus, imperii modum, etiam quando absolutè regnatur, statuere, non boni tantum Principis, sed prudentis simul esse.

§. IV. Sed erat tunc temporis Polonia non minus, quàm Silesia sine DEO & absq; fide, quamobrem non ineptè queritur: Utrum PIASTUS tanquã pagano ac infidelis Majestatis capax esse potuerit? Respondemus affirmando. Videmus enim amplissima Imperia non Christiano aliquo Principi, sed vel Hæretico vel Pagano subiecta esse. Et si Piaslus non habuit Majestatem ideò, quòd Gentilis fuerit, tum parili ratione, Pharaones, Ptolomei, Alexander M, Xerxes, Julius Cæsar, Augustus & hodiè Turcarum ac Persarum Domini, eadem privandi. Quare non tantum Jure Naturali, sed Divino quoq; Ethnicis conceditur Majestas. Ipse JEHOVA vocat Regem Babylonix ministrum suum (p) & Cyrum, antequam nasceretur, annos ferè 150, Pastorem. Unde etiam Salvator noster, Pilato cælitùs permissam potestatem asserit. Equidem non ignoramus in constitutione Reipubl. Mosaicæ excludi à solio Ethnicos, sed à solio Judaico. Ast à speciali hoc scito ad universalem assertionem argumentari non licet. Itaque cum fides non sit de essentia Reipubl. cujus ultimus finis est, communis humani generis in hac civili vita beatitudo, (q) Etiam is de eadem benè mereri potest, qui de fide nil quicquam novit. Exemplò est Piaslus, qui omnes optimi Principis numeros accuratè, Paganus licet, explevit.

p) Jer. c. XXVII.

q) Ziegl. in Reg. Angl. Exerc. VIII. p. 171.

§. V. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in Rege: Fortem, justum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regix laudes, illa privata est. Hæc, quæ in genere de Principum vitâ & moribus, ex aliorum sententiâ olim Cicero dixit, (r) optimè, nisi me omnia fallunt, in Piaslum quadrant. Hic enim rem Populi esse, quam administrabat, non suam privatam, probè scivit; adeoq; sedulo operam dedit, ut patriam opibus firmam, copiis locupletem, gloria amplam & virtute honestam redderet. (s) Pittacus laudabat Rempubl., in quâ malis imperandi facultas non datur. (t) Quanto magis laudanda erat Polonia, quando Piaslum Principem Optimum & prudentiâ præprimis instructum, sinu suo foveret. Iustitiam omnibus ex æquo, temperanter & sine legum vinculo, remoto etiam studio, administravit. Cum a. firmissimum id imperium sit, quo obedientes gaudent; (u) Benignitate ac clementiâ, quæ nullum magis ex omnibus, quàm Regem ac Principem decent: (x) Illud temperavit, noxios eripiendo, lapsos erigendo & servando eos ipsos, qui se

r) pro Dejotaro.

s) Cicero L. V. de Rep.

t) Stob. Serm. 41.

u) Lib. L. VIII.

x) Sen. de Clem. L. 1.

per

846-

44

y) Cicer. pro Lig.
z) Senec. Octav.

perdebant. Hic omnia conciliavit, quæ sceptro digna. Hinc æternam consecutus est gloriam. Nullâ enim re propius ad DEUM accedimus, quàm salute hominibus dandâ. (y) Poëta inquit:

(z) Pulchrum eminere est inter illustres viros:
Consulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hæc cælum viâ.

117

6399

§. VI. Comitabatur eum tanta divini favoris opinio, quâ nullum instrumentum ad regendam multitudinem potentiùs Principes habent, ut frequenter solus ejus conspectus nefariorum hominum scelera cobibuerit, & præsentia vel inermis, tumultuantibus exercitibus ferrum excusserit. In hoc autem autoritatis splendore egregiè refulgebat modestiæ lumen. Nõ minùs enim se hominem esse, quàm hominibus præesse ratus. Quò DEUS eum altiùs evexit eò se magis suppressit. Sobriæ insuper vitæ imprimis studiosus fuit, & qui quondam Agricola, frugalitatem prioris fortunæ etiam postea servavit; gulæ & libidinum abstinens, per quas pleriq; vitam precipitant. Et hinc raram ætatem attigit, postquam integros 19. annos gubernacula Reipubl. tractâisset.

§. VII. Ita se explicit imperium Piasi, gestum ab illo felicissimè, & ad multam posteritatem translatum. Quos enim hodiè in SILESIA, LIGNICIUM & BREGA, &c. DUCES veneratur, Illius soboles sunt. Vivunt adhuc CHRISTIANUS & GEORGIUS WILHELMUS, PRINCIPES PIENTISSIMI. Quorum laudes verbò complectemur: PIASTEI sunt (sat dictum!) & hoc tantum majores, quò meliores! Intelligamus ergò, (†) bona nostra, dignosq; nos ILLORUM USU probemus!

†) Plinius

SOLI DEO GLORIA!



1077

Q.K.
379,
9.

DIS
P
ETHNA

OCTO

IN I

M. &

PUB

ASMANNU

IN AUL

Typis M A

4731)

CO-

NIÆ &c.

CIPES

IA

ONE,

b HOCK,

ART.

pogr.

II n
6399

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SALE)

3

